

Johann Bacmeister

**Programma Quo Rector Academiae Rostochiensis Joannes Bacmeisterus Med.
D. Prof. P. & Poliater ad solemnes Exequias funebres Quas Amplissimo ... Viro
Dn. Henrico Rahnen, I. U. D. & Professori celeberrimo ... Vidua & Liberi
Moestissimi Hodie hora Prima paratas cupiunt; Omnes omnium ordinum Cives
Academicos officiose & peramanter invitati**

Rostochii: Kilius, 1662

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn775827940>

Druck Freier  Zugang



Bacmeister, J.

in

H. Rahue.

Rostock, 1662. /c



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn775827940/phys_0002](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn775827940/phys_0002)

DFG



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn775827940/phys_0003](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn775827940/phys_0003)





Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn775827940/phys_0004](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn775827940/phys_0004)

DFG

PROGRAMMA
Quo
RECTOR
ACADEMIÆ ROSTOCHIENSIS
JOANNES BACMEISTERVS

Med. D. Prof. P. & Poliater

Ad solemnes Exequias funebres

Quas
Amplissimo, Consultissimo & Excellentissimo
VIRO

**DN. HENRICO
RAHNEN,**

J.U.D. & Professori celeberrimo, Duca-

lissimo Commissarii Assessori gravissimo, nec non ta-

tius Universitatis Seniori venerando, Colle-

gæ nostro desideratissimo

Vicaria & Liberi Mœstissimi

Hodie hora Prima paratas cupiunt;

Omnes omnium ordinum Cives Aca-
demicos officiosè & peramanter
invitat.

ROSTOCHII,

Typis JOHANNIS KILII, Acad. Typogr. 1662



Edemtori nostro JESU CHRISTO terræ carceres perrumpenti,
gloriosè resurgentि & de Morte,
Mundo, Diabolo totaq; stygiâ cohorte devictâ triumphanti, exactis
feriis Paschalibus voce ac mente
devotâ & gratâ pœanas & epinicia
certatim accinuimus, memoriā
simul miraculosi transitus populi
Israelitici per māre rubrum recon-
iuimus, agnum Paschalem stantes & lumbis cincti comedimus,
& ad beatā ex hac vitā in æternā Palæstīnā emigrationē
animū præparavimus. Agno paschali condimenta nō mel-
lea, vel saccharo conspersa, sed salgama ex lactucā amarā
confecta apponebantur, quo typo epulum agni non segni-
bus & delicatis, sed calamitatum amaritudine tinctis exhibi-
beri significatum fuit. Nutrimentum agni qui expertunt
& mare hujus vitæ rubrum feliciter transfretare desiderant,
embammata quoq; pungentia & γλυκύταξε gustare & ala-
criter concoquere & Jubilis Paschalibus lugubres lessūs &
nenias miscere oportet. Mixturam hanc Christiani mili-
tes pii experiuntur, morbis variis afflitti, fluctibus pelagi
hujus mundani concussi, à Pharaone similivè Mavorte fu-
gati, pressi, ad Mare rubrum deducti, Virgā verā Aaronis id
findentes, naulo peccatis merito exsolute, sicco pede tran-
seunt, morti & satanæ spicula, hastas & aculeos feliciter adi-
munt, & hinc opima spolia in triumphum ducunt. Hisce
trophæis

erophaëis instructi facile Cacodæmones & Infernales furias
subinde novos insultus machinantes repellunt, Bellonæ di-
ritatem coërcent, metum mortis excutiunt & ex Metroco-
miâ hacce Ægyptiacâ per vastum maris rubri pelagus in
Cælestis Canæa tuta metæcia securè migrant, in iisq; Qua-
simodogeniti, cum omnibus piis æternum Pascha celebran-
tes, tripudiant. Hujus migrationis felicitatem omnes in
Domino morientes & in Christum resurgentes experiuntur.
In quorum numero meritò censemus Virum Amplissimum,
Consultissimum & Excellentissimum DN. HENRICUM
RHANEN J. U. D. & Profess. Celeberrimum, Ducalis Con-
sistorii Assessorem gravissimum, Seniorem hujus nostræ Aca-
demiaæ Venerandum, qui ut decursum vitæ piè transgit, ita
procellis pelagi mundani variè exagitatus, tandem Chri-
sto Salvatori verè Quasimodo genitus, ad Paschatos cœ le-
tis celebrationem sub vexillo Triumphantis victoriosi Re-
demptoris in æternum sanctorum tanquam in tutissimum
portum, ubi dolor non sentitur, gemitus non auditur, bo-
num æternum possidetur, delatus est. Grave, fateor, vulnus
hujus celebratissimi Viri obitu Academix nostræ inflictum
est, & haud scio, an illum à longo tempore gravius. Ami-
simus enim Virum varia doctrinâ & multijugâ lectione,
quemq; omnis politioris literaturæ à φερδίν. & χάρι me-
ritò appellare possumus, magnum hujus Scholæ decus &
ornamentum. Nolimego quidem malè ominari, sed dum
abripi & è medio tolli videmus illos, quibus tanquam tibi-
einibus & columnis hactenus hæc Academia suffulta fuit,
quid aliud sperare possumus, quam magnum literis infor-
tium impendere? Sed hoc DEUS omen avertat: cui, quia
stravimus est, ut Academia nostra tam illustri lumine priva-
retur, in divinâ ejus voluntate libenter acquiescemus, &
quò justiores nobis sunt causæ doloris, eò acrius in honore
hujus

hujus viri & morte decorandā annitemur. Anne autē cuiquā
mirū videbitur, si mihi almæ matris Academiæ calamitatē
deploraturo, cujus jam toties paucis ab hinc annis animum
dirus pertransivit gladius, è morte tot clarissimorū Virorū,
novā subinde clade acceptā, idem contingat quod Bartho-
lomæo Sotino apud Alexandrū Pontificē, Demostheni Græ-
corum Oratori apud Philippum Regem, Herodi Attico corā
Marco Antonio, Heraclyto Lycio coram Severo Principe
causam oraturis, aliisq; dissertissimis Oratoribus contigisse
Historici perhibent, quod verba facturi, sive splendore &
authoritate eorum, corani quibus dicere constituerant,
percussi, sive rei, de qua dicere parabant, aut gravitate aut
dignitate deterriti, obmutuerint. In summis habentur
mortaliū bonis, & sunt quoq; non apud Vulgus saltem,
verum etiam alios, quos à plebe se junxit vel virtus vel do-
ctrina quædam singularis, Patria, Parentes, educatio, inge-
nium, res familiaris, favor bonorum, Conjugium blan-
dum, proles ingenua, & quibus infuper quotidiè indige-
mus in hac vitâ homunciones miseri. Plurimum enim in-
terest, quâ quis gente ortus prodeat, cum alia nimis sit bar-
bara, alia ob superbiam vel levitatem, vel voluptates male
audiat, hæc sub aere crasso nil nisi crassum, illa inter scopu-
los nil nisi durum producat. Nec minus refert, quales
sint qui te generent; ex bonis enim plerumq; boni, ex ele-
gantibus nascuntur elegantes, atq; eluet in parvulis majo-
rum virtus quælibet. Nec tamen nasei satis est, aut vultu
referre atq; inde te etiam Progenitores tuos, quæ in te gli-
scit ingenii scintilla accendatur oportet, ut non tibi solum,
sed pluribus quoq; luceas aliis, qui per te, ubi opus erit, vi-
deant, in quantis tenebris vel pravorum seductione, vel er-
ram errore proprio sedeant. Necessaria si tibi desint, dole-
bis, neq; enim emergere poteris absq; mediocri rerum in-
quiibus

quibus vita nostra cōsistit, possessione atq; usū. Habeas ſu-
premi numinis benignitate, requiritur, vel per Parentes, vel
per amicos & fantores, unde edas, quo succrescens & te &
quoscunq; t̄t̄os esse aliquando jūſſerit DElls, largiter alas;
Hæc verò omnia uti jucunda sunt, ita ægerimè relinqui-
mus, quod per varias, quibus obnoxii sumus, calamitates
accidere videmus quotidie singulis, modò enim desolari
cernimus Patriam, amittimus Parentes atq; cognatos, ja-
cturam facimus vel quorundam vel omnium bonorum, de-
ſtituimur amicis, orbam urliberis & quicquid magni facie-
bamus, aufugit cum dolore nostro. Maximè autem terri-
bilè est, nos ipſos, dum adhuc viget ingeniū, neq; quidquā
æest rerum necessariarum, inter complexus nostrorum de-
ſicere, & cum Medicorū industria præſtare nil poffit ampli⁹,
animam exhalare, extensos jacere sine motu, malè olere, ef-
ferri, sub terram recondi, in cineres verti, ut fpes super-
eſſe videatur nulla, quæ vel ipſis vivis derelictis ſolatio eſſe
queat, n̄iſi divinitus revelatum dogma nos doceret, ſuper-
eſſe aliam vitam, multoq; hāc meliorem, in quam migra-
mus quotquot hic pte atq; ex præſcripto Salvatoris vixi-
mus. Omnia hæc enumerata capita defideratissimi nostri
Dn. Collegæ personæ accommodabimus, & ejus vitæ pri-
mum ortum, progreſſum & egressum paucis delibabimus.
Sionides Patriam gloriosam homini virtute præditio or-
namentum, Civem laudatum Patriæ decus eſſe dicebat. Fœ-
nerari lucem à patria Viro huic non eſt necesse, quin eum
Patriæ ſuæ ſplendorem auxiffe conſtet; Patria tamen ipſi
non Ithaca Ulyſſis; ſed Mundi hujus lucem, ſi modolux di-
cenda eſt, primum intueri ille cœpit in Germaniæ gentis
bellicosæ atq; optimarum literarum cultricis Saxoniâ, Brun-
ſvici, vel ut alii appellant, Tubifurgii in Civitate Saxoniæ
Metropoli, atq; Brunone, Ducis Saxoniæ filio ejusdemq;
A 3

condi-

conditore, nomen obtinente, anno post Christum natum
MDCI, die XIV Februarii, ortus à Parentibus longe Clari-
ssimis, Patre Viro Amplissimo, Consultissimo & Excellen-
tissimo, DN. HENRICO RHANEN J. U. D. primum,
Ducatus Brunsvicensis Practico felicissimo, nec non Syndi-
co Civitatis Helmstadiensis gravissimo, postmodum vero
Ducis Luneburgicæ Viduæ Winsensis Consiliario. Matre
verò fœmina castissima CATHARINA Reichen / ex peran-
tiqua & nobili Rikiorum, Ducatus Brunsvicensis familiâ
oriunda. Avum Paternum nominavit Virum Integerri-
mum HENRICUM RHANEN, Civem olim Neobranden-
burgensem hujus Ducatus Mecklenburgici. Aviam verò
Paternam matronam lectissimam Meckel Baden. Ayus Ma-
ternus ipsi fuit Vir Magnificus, Nobilissimus & Amplissimus
DN. BARTHOLDUS Reiche / primum in Academiâ Lipsi-
ense Professor celeberrimus, postmodum verò redux ex Ita-
lia, ubi in Academia Bononiensi gradum Doctoris in utroq;
jure assumpserat, Illustrissimi ac Celsissimi Principis ac DN.
HENRICI, Ducis Brunsvicensis & Luneburgensis, gratio-
fissimæ recordationis Consiliarius intimus, bisq; Legati vi-
ces ad Potentissimū Poloniæ Regē, nomine suæ Celsitudinis
summa cū laude sustinens, nec non canonicit⁹ S. Blasii in
Ducatu Brunsvicensi Decanus venerabilis. Avia Materna
verò Matrona eximiis virtutibus conspicua CATHARINA
Reineken. Possent longius Avorum nomina colligi; Verum-
& illud defuncto parum prodest; Miserorum siquidem
hominum est egere propriæ Virtutis, atq; in recessione Avo-
rum prolixum esse. Quasi quod olim ad Trojam pugnaret
Achilles, illud in numerum benefactorum posteris veni-
ret.. Defunctus noster suo censu suoq; ingenio dives fuit,
majorum imagines ut calcar ad virtutem habuit, non
quod ipsis se ostentare vellet. Ex tam nobili ac clara prosa-
pia fuit

pia fuit ortus, de quo in præsens agimus, DN. D. RHANIUS
p.m. Collega noster, dum vivebat, cōjunctissimus, loco satis
illustri, adeò, ut, si in puerō refert ex quā affectione cœli
primum spiritum duxerit, quod vult Orator; & si non raro
majorum virtus in posterōs transfunditur, quod fieri do-
cet experientia, non mirum sit ex tam fœcundo virtutum
semine, in tam bene mollito & honestate subacto agro
enatum esse hujusmodi florem, qui scientiæ & virtutis co-
ronam maximè ornaret, ac spectantium oculos nativa amo-
nitatē plurimum oblectaret. Et hoc ipsum eò magis, quod
accederit ratio conformatioq; doctrinæ, & assidua culto-
rum industria in schola tam Patria quam Wismariense.
Postquam enim proximo post natavitatem die per bapti-
smū regeneratus, &, vix absoluto secundo ætatis anno, Dn.
Parente orbatus eslet, à Matre in timore domini educatus
est, jactisq; in schola Patria primis literarum fundamentis,
non delicatulorū more lacte materno enutrirī, paternisq;
tantum laribus litare volupe duxit, sed nondum Ephebus
amore scientiæ, Anno M. DC. X. cum fratre Conrado Wi-
smariam ad Materteræ maritum, Virum Amplissimum &
Consultissimum DN. MATTHÆUM GERDESIUM tum-
temporis ibidem Syndicum Civitatis, iter subiit, ibiq; prin-
cipia in patria hausta ulterius excoluit, nullosq; labores,
sudores, algores, subterfugit, donec tandem hæc fratrum-
biga Anno M. DC. XVI. à Matre in Cœnobium Illefeldense
Ducatus Brunsyvicensis evocata, ibidemq; in numerum
Alumnorum Celsissimi Principis recepta est, ubi tum tem-
poris juventus accuratè erudiebatur. Quo in loco etiā per
tres integros annos gnaviter literis ambo invigilarunt. Et
quamvis Anno M. DC. XVII Mater charissima mortem
obiret, atq; sic Virorum Excellentissimorum DN. D. VA-
LENTINI MOLLERI Decani, & DN. D. CONRADI CO-
LERS

LERS Canonicī primū canonicatōs Blasii, postmodū vero
Celsissimi Ducis Saxoniæ Inferioris Cancellarii Magnifici,
se suaq; committere cogerentur, quæ res multis sæpiissime
exitium parare solet. Hoc tamen nihil obstante, feliciter
ibidem virtutum ac doctrinæ fundamentis positis, de Con-
silio Dn. Præceptorum atq; Tutorum Anno M. DC. XIX.
die XXIV. Octobris ad capessendos uberiores ingenii fru-
ctus JENENSEM salutarunt Academiam, & in celebri illo
Lyceo, quæ feliciter cœpta erant studia, gnaviter per inte-
grum fere quadriennium, continuarunt. Anno M.DC.XXIII.
die II Maij ad illustre literarum Emporium Academiam
Lipsiensem se contulerunt, cum verò ob quædam emergen-
tia illie locorum non diu subsistere possent; Eodem anno
die scilicet XXIII Julii, Helmstadium concederunt. Neq;
tamen μυραιης noster pravo hujus seculi more, Musis in-
salutatis in Themidos sacraria irrupit, nec Accursianum
illud, *Greca sunt, legi non possunt*, in ore habuit nec humanio-
res literas, nec Latiam Grajaniq; linguas fastidiit, sed hisce
velut alis adjutus, Parnassi cacumina non tantum transvo-
lavit, verum etiam iisdem quasi fidis remigibus juris Vasti
pelagi, exiguo temporis decursu, plenis velis, felicibusq;
ventis potissimum partem emensus ulterius iter cœptum
continuare annis quidē, ast, invadente Anno M. DC. XXV
Helmstadium Peste, totumq; Ducatum Brunsvicensem
Exercitu Cæsareaneo occupante, locum mutare cum
Dn. Professoribus aliisq; Studiosis & alias Musarum se-
des querere coactus est. Felici itaq; sidere cum fratre suo
Almam hanc nostram Rosarum Academiam ingressus est,
nihilq; de pristino erga literarum studia ardore remisit, sed
majori quam ante alacritate cœptam studiorum telam feli-
citer pertexuit. Quia verò alicubi benè vixisse commen-
dandum, proinde ut testimonia aliquot publica vita bene
actæ

actæ obtineret, aliquoties sub Præsidio Virorum hujus Academiae eo tempore
in Jure celeberrimorum summa cum laude de Materiis juris gravissimis re-
spondit, inq; illis exercitiis Academicis strenuum fæse gessit Athletam, donec
Anno M. DC. XXIX. à Nobilissimo & Strenuo Viro GEBHARDO ab AL-
VENSLEBEN Erxlebiam vocatus est, ut Advocando & Consulendo ipsius
præcesset rebus, cui Sparta etiam per annum & quod excurrerit fideliter præfuit.
Cum vero in excidio Vrbis Magdeburgensis omnia Acta juridica nominati No-
bilissimi viri incendio periret, nō potuit ulteri⁹ officio illo Advocati noster pie
defunctus fungi, sed impetrata venia ad pristinas Musas rediit, & Anno M. DC.
XXXI hoc nostrum Rosetum secundâ salutavit vice, nec non vicinam Gry-
philsvvaldensem invisit Academiam, iterumq; ad nos reversus ob multiplicem
Virtutem & confirmatam eruditionem omnibus non tantum gratissimus
fuit, sed etiam ab Amplissimo Ducali Collegio Professorum obtinuit, ut Illu-
strissimo ac Celsissimo Principi Mecklenburgico DN. ADOLPHO FRI-
DERICO beatissimæ memorie, Domino nostro Clementissimo, ad Pro-
fessionem juris nominaretur, in quam denominationem factam Celsissimus
quoq; lubenti consensit animo; Obtenta itaq; Vocatione illa legitima Anno
M. DC. XXXII lectissima & pudicissima Virgo ELISABETHA von der
Lippen/Nobilissimi & Magnifici Viri DN. CHRISTOPHORI von der Lippen
J. U. D. & primum Consiliarii Mecklenburgici, postmodum vero Serenissi-
mi ac Potentissimi Danie ac Norvvegia Regis CHRISTIANI IV, gloriofissi-
ma recordationis, Cancellarii filia dilectissima, ipso Pentecostes Festo, ipsi Sve-
rini despontata est. His ita expeditis peregrinationum modicarum secum
expendit utilitates, & utilias quoq; obtineret, per Ducatum Bremensem &
Frisia Orientalem, confederatas Provincias Belgicas adiit, atq; perlustratis
Academiis celeberrimis Groningense, Franeckerana, Lugdunense, & Ultra-
jectense, per Selaniam in Angliam transfretavit, & postquam Londini per
aliquid temporis spatum subtilitasset, Academias Oxoniensem & Cantabri-
giensem invisit, indeq; in Galliam se contulit, & tam Lutetiae Urbe totius
Galliae primaria, quam Aurelia Galliae Celtice Civitate nobilissimam, aliquanti-
per commoratus est, ut cum summis illis perfectæ literaturæ heroibus, qui
cum temporis in iisdem vivebant, conferret & ita in studiis se magis ac ma-
gis confirmaret. Propositorum DN. RAHNIO erat, cæteram quoq; Galliam
perlustrare, audiendisq; quibus illa abundabat Jure Consultis præstantissimis
anni aliquā partē impendere. Sed hoc consiliū mutare ipsum coegerunt li-
teræ revocatoriaz; Quare per Brabantiam salvus quidem & in columis hictan-

de m quidem appulit, verum in ipso Itinere varias devorare molestias eoactus est. A Latronibus quippe cum comitibus nocturno tempore intra Rhormundam & Venloem Urbes spoliatus non in exiguum vitæ discrimen incidit, ut taceam quæ Itinere maritimo propter tempestates perperitus sit. Reversus itaq; summos in jure honores ambiit, quos etiam Anno M DC. XXXII die XIX. Septembris, habita primum Disputatione Inaugurali, Decanus spectabilis Vir Amplissimus Excellentissimus & Consultissimus DN. ALBERTUS HEINIUS Senior, Jctus celeberrimus, more in Academiis recepto, publicè cum aliis sex competitoribus summo omnium cum applausu ipsi contulit. Præterlapsis post Promotionem aliquot septimanis, XXX scilicet Octobris ad Professionem juris introductus, & in Facultatem Juridicam, nec non numerum Consistorialium receptus est. Anno M. DC. XXXIV. die V. Februarii cum desponsata ante hac sibilestissima Virgine ELISABETHA von der Eppen/ in iucundissima nuptiarum vincula se conjectit. Cum hac Uxore annos vixit octo sine jurgio sine offensâ, & quinq; liberos ex amabili hoc conjugio eeu matrimonii fructus sustulit, tres filios HENRICUM, CHRISTOPHORUM & CONRADUM, & duas filias, MARGARETHAM nempe & CATHARINAM, quorum liberorum HENRICUS, CHRISTOPHORUS & MARGARETHA in ipsâ infantia vitam cum morte commutatarunt: CATHARINA vero primum Viro Consultissimo & Excellentissimo DN. HIERONYMO COCCHIO J. U. D. in matrimonium data, postea autem hoc defuncto marito, Excellentissimo ac Clarissimo DN. MARTINO COLLEGIO juncta, adhuc cum Fratre CONRADO, qui gnaviter in peregrinis locis literis operam dat, in vivis est. Postquam vero hec ELISABETHA Anno M. DC. XLII die VII Aprilis in ipso puerperio extincta esset, Maritus quidem per sesqui annum Viduum thorum pressit. Cum vero ob labores publicos domui sue rite præesse non posset, ad secunda vota, suadentibus amicis, transiit & Anno MDC XLIII. die XI II. septembris Fœminam elegantissimis moribus & omnium virtutum matronalium laude apprime decoratam ELLISABETHAM, Viri Nobilissimi, Consultissimi & Excellentissimi DN. LAURENTII STEPHANI J. U. D. Illustris. ac Celsis. Duc. Mecklenb. Consilia. trii, Judicij Provincialis Vice-Præsidis, Consistorii Ducalis Assessoris, Universitatis Rostochiensis Antecessoris ejusdemq; Senioris olim gravissimi filiam, Amplissimi & Consultissimi DN. LAURENTII MARQUARDI J.V.D., & Archiepiscopi Bremensis atq; Verdensis olim Consiliarii relictam Viduam, uxorem duxit. Hoc Conjugium bonis auspiciis cæptum tam feliciter uriq; essit, ut ne voto quidem Iuvavius optare potuerint. Etenim cum hac maritum sedulq;

sedulo coleret, ad ejus nutum se totam componeret, è publico aut à libris ve-
nienti curas & molestias placido sermone abstergeret, rem domesticam si-
gulari industria administraret, & nullum probè ac prudentis matris familias
officium omitteret; Ille vero uxorem mutuo amore complecteretur, haud
aliter fieri potuit, quam ut ab accensâ nupciali face usq; ad funebrem perpe-
tua inter illos Concordia vigeret, qua nullum optabilius bonum Conjugi-
bus evenire potest. Neq; hoc posterius conjugium sterile fuit, sed ex eod. m
sex progerminare vidit elegantes flosculos LAURENTIUM scilicet, CHRISTO-
PHORUM, ANNAM, JOACHIMUM, BARBARAM & ELISABETHAM, e quibus
quinq; Vita hujus ultra fruuntur & cum Matre dilecta obitum Parentis
acerbillimis prosequuntur lachrymis; BARBARA vero patrem in cælestem
patriam præcundo, turbato naturæ ordine, antevertit. Per totum vitæ tempus
domitis cupiditatibus purgatoq; pectori DEUM colebat, non ad opinionem
aliorum neq; ad vanam gloriam respiciens, sed id agens sedulo, ut potius
esser, quam videretur pius. Nullum sanci diem à sacris meditationibus relin-
quebat vacuum, rerum agendarum initium à precationibus capiebat, cere-
moniis & precibus publicis lubens intererat, attente audiebat qui populum
erudit, nec ulla erat unquam tam horrida tempestas, nullum frigus etiam
adultæ hyeme tam asperum, quod ipsum ceremoniis nondum finitis e tem-
plo expelleret, aut à frequentandâ æde sacra avocaret. Cum vero nemo
sit mortalium, in cuius pectori non hæreat aliquid labis vel nativæ vel
contractæ per consuetudinem, nihil ipsi erat antiquius, quam ut statim anni tem-
poribus, quocequid sordium concepisset, pia confessione elueret, & animo ad
hunc modum depurato particeps fieret mysteriorum, quibus nobis verum
corpus & sanguis salvatoris nostri exhibetur; Hac igitur virtute, quæ reli-
quarum patens est, munitus, quid mirum si bellum omnibus vitiis indixit? Si
voluptates, quæ lensum uitillatione percipiuntur, repudiavit? Si fastum &
superbiæ fuit exodus? Si mendacium tanquam Pestem refugit? Si aures non
patet fecit adulatoribus? Si frenis iram compescuit? Si ab avaritia à sordi-
bus, ab ambitione emanciparam mentem gessit? Si deniq; omnibus animi af-
fectibus à rectâ ratione aversis januam præclusis & in legitima officii sui fun-
ctione fidem sese gessit. Ab eo tempore postquam in sanctæ Themidos
Cathdra vestigium figere cœpit, nihil in se desiderari passus est eorum, quæ
ad Academiæ nostræ dignitatem commodaq; conservanda, & amplificanda
facere viderentur. Docendi labores cum quadam voluptate & alacritate
animi subibat, pensum suum accurabat probe: quicquid eruditum in doctissi-
mo pectoris suiscrinio possidebat, id cum auditoribus, qui discendi studi,
arderent,

arderent, libenter communicabat: de obscuris clare, de dubiis enucleatè disserbat, & quidem tanta cum dexteritate, ut res palam ante oculos ponere, & tanquam tabulas pietas in bono lumine collocare videretur. Consultus de jure Speciem facti ejusq; circumstantias aurarià quasi staterà ponderabat, neque pro nutu consultoris, sed pro justitia causæ pronunciabat, & , ut multa paucis comprehendam, non erat e Valetudinario illorum Jureconsultorum numero, qui sui quæstus causa factas suscitant sententias, litesq; mira arte sufflaminant, &, quos semel in plagas suas compulerunt, eos non nisi depilatos dimittunt, Valetudine usus est per DEI gratiam prospera, nec variòs in vita morborum insultus sustinuit. I. Aprilis de Cordis quadam anxietate conqueri cœpit, quæ tamen, adhibito à Me præscripto Medicamento, statim cessit: Altero die ipsum quidem decubentem propter assumptum Medicamentum inveni, verum de nullo præter lassitudinem membrorum amplius conquerentem morbo. Tamen illo ipso die circa mediam sextam Vespertinam fortissimè correptus Aplexia præter omnium expectationem, subito ex hac Balthici littoris Academia, in Cœlestis justitiae Templum placidissimè morte evocatus est, postquam vixisset Annos LXI, septimanas VI. & dies IV. Nobis in illo perierunt quam plurima: Ipsi præter hoc mortale corpus nihil decessit. Academiz nostræ hæc mors verius quam illius est. Hanc enim ille discessu suo vehementer concussit: huic orbitatem reliquit, ipse æternitate atq; immortalitate sempiternè cunauatur. Non illius igitur vicem, sed nostram piis lachrymis conditionem merito deflemus; Nobis namq; creptus est Vir qui annos XXIX. in Academiæ docuit, qui in eadem septies Rectoris Magnifici munus gessit; qui per XXVIII annos Ducalis Consistorii Assessor, & Cœnobii Virginialis S. Crucis fuit Provisor; Merito igitur Mors hujus optimi Viri dolorem nostro Ordini, Mœrore Collegis suavisimis, Squallore Vxori & Liberis, luctu ac gemitum omnibus bonis affert, quem pro sua quisq; parte, dum justa funeri ipsius hodie persolventur, testatum faciemus. Hortamus autem omnes Legum Academiz nostræ subditos, ut prodeant; Imprimis vero Dn. Studentios, ut una memores reverentia Magistratui debitæ ad defuncti Professoris exequias certo accedant, seq; publico hoc dolore percullos esse supremo pietatis officio significant.

P. P. Rostochii sub Sigillo Rectoratus IX. Aprilis
ANNO M. DC. LXII.





Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn775827940/phys_0017](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn775827940/phys_0017)

DFG

GK



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn775827940/phys_0019](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn775827940/phys_0019)





Universitäts
Bibliothek
Rostock


[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn775827940/phys_0020](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn775827940/phys_0020)



aut à libris ve-
mesticam sui
matris familias
exteretur, haud
nebrem perpe-
num Conjugi-
, sed ex eod. m
cet, CHRISTO-
HAM, e quibus
utrum Parentis
in cælestem
in vita tempus
ad opinionem
culo, ut potius
tionibus relin-
cipiebat, cere-
qui populum
n frigus etiam
finitis et tem-
vero nemo
ativæ vel con-
atis anni tem-
, & animo ad
nobis verum-
ite, quæ reli-
tis indixit? Si
? Si fastum &
? Si aures non
varia à sordi-
bus animia af-
officii sui fune-
re Themidos
torum, quæ
mplificanda
& alacritate
in docti-
scendi studi, o
arderent,

936

Patch Reference number on UT
Patch Reference Chart TEx3 Serial No.



sedulò coleret, ad ejus nutum se totam compon-
tienti curas & molestias placido sermone abste-
gulari industria administraret, & nullum proba-
officium omitteret; Ille vero uxorem mutuo
aliter fieri potuit, quam ut ab accensa nuptiali
tua inter illos Concordia vigeret, qua nullum
bus evenire potest. Neq; hoc posterius conjug
sex progerminare vidit elegantes flosculos LAL-
PHORUM, ANN 4M, JOACHIMUM, BARBARAN
quinq; Vitæ hujus ultura fruuntur & cum Mai-
acerbissimis prosequuntur lachrymis: BARBARI
patriam præundo, turbato natura ordine, ante
domitis cupiditatibus purgatoq; pectori DEUN
aliorum neq; ad vanam gloriam respiciens, sed
esset, quam videretur pius. Nullum sane diem
quebat vacuum, rerum agendarum initium à p-
moniis & precibus publicis lubens intererat, at
erudirent, nec ulla erat unquam tam horrida te-
adulta hyeme tam asperum, quod ipsum ceren-
plo expelleret, aut à frequentandâ æde sacra avi-
sit mortalium, in cuius pectori non hæreat alio
tracte per consuetudinem, nihil ipsi erat antiqui-
poribus, quicquid sordium concepisset, pia con-
hunc modum depurato particeps fieret mysteri-
corpus & sanguis salvatoris nostri exhibetur; E-
quarum patens est, munitus, quid mirum si belle
voluptates, quæ tensuum titillatione percipiunt
superbiam fuit exolus? Si mendacium tanquam
patefecit adulatoribus? Si frenis iram compo-
bus, ab ambitione emancipatam mentem gessit?
fectibus à rectâ ratione aversis januam præclusio-
nione fidelem sese gessit. Ab eo tempore post
Cathedra vestigium figere cœpit, nihil in se desi-
ad Academiam nostrâ dignitatem commodaq; co-
facere viderentur. Docendi labores cum quad-
animi subibat, pensum suum accurabat probe: q-
fimo pectoris luiscrinio possidebat, id cum audi-